

H

HAdid, id est, ferrum.

Hæmatites, Sedeneg Arabice, a German. **Blutstein** / propter colorem sanguineum, quo tingit, & etiã spectatur præcipue, qui fossilis est in fodinis, & propter effectũ etiã, quem habet in sistendo sanguine, in omni fluxu sanguineo. Plinius varias eius species facit. Est n. hæmatites diuersus secundum regionũ natales, in Lybia, Ægypto, & Hispania, & in Cheruscis Northusiæ: Item Hattesgerodæ, in Saxonia Goselariæ, in Iudetis montibus Annæbergo & Geuro, ad Salam, Salfeldiæ, Salburgiæ, Ienæ. Est & diuersus hæmatites, si mollitiem & duritiem eius consideras. Sunt ergo hæ eius species mihi notæ.

Hæmatites. 1. Fossilis, qui celebratur a Diosc. l. 5. c. 90. cuius patria Ægyptus est. Niger, colore saturato, durus, friabilis, suo ingenio æqualis, nulla sorde admixta, nulloq; zonarũ discursu. Hæc prima species inter fossiles hæmatites nostros reperitur, sed rarissime vix vnum & alterum vidi, vulgo alias omnino ignotus.

2. Niger reperitur Goslariæ, reddens succum croceum: durissimus, incognitus etiam officinis. Reperitur & is, licet raro ad Hercyniam syluã in Cheruscis. Estq; procul dubio gemma seu lapis Alberti Medus niger, qui tritus reddit croceum succum. Cuius altera species viridis. Dicitur autem Medus, quia a Medorum regione adfertur, & reperitur ad Phasin.

3. Fossilis in Hassia, multis in locis reperitur, qui purpureus fissilis seu scissilis.

4. Fossilis pulcerrimus nascitur in Geuro & Annebergo, Salfeldiæ. Hunc laudant aurifabri, quod sit ad cotem durissimus, ad gemmas poliendas. Niger est, & quasi turbinatus.

5, Fos-